

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XV. Qualiter Christ membra novis velut specula lucent.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XV.

QUALITER CHRISTI MEMBRA NOBIS VELUT SPECULA LUCENT.

Impedimen-
ta tamquam
Dei nuntii
suscienda.

HÆC Dei ancilla die quodam compulsa est conqueri beatæ Virgini impedimentum quod in Dei servitio se videbatur habere. Cui beata Virgo : « Vade, inquit, et sta coram Filio meo cum reverentia. » In quo verbo agnovit quod homo omnia impedimenta quæ sibi evenire possunt in divino servitio, sive per hominum mores, sive a semetipso, in visu, vel auditu, vel desiderio, vel per memoriam actarum rerum, hæc omnia debet suscipere tamquam nuntios Domini sui, et eis cum reverentia obviare, et in Deum dirigere, in ipsum refundendo per laudem et gratiarum actionem.

De Corde
Domini
profluunt
ipsius
opera.

Tunc illa procidit ad pedes Domini, et cum se elevaret, visum est sibi videre duo specula ante genua Dei, et vestimentum ejus plenum esse speculis, et in pectore speculum valde perlucidum, a quo videbatur sibi omnia specula effluxisse quæ primò viderat. Per quod cognovit quod omnia Christi membra in operibus suis nobis velut specula lucent, et omnia opera ejus de Corde ejus ex amore processerunt. Pedes enim ejus lucent nobis, id est ejus desideria, in quibus debemus agnoscere quam tepida sunt desideria nostra ad divina, quam inutilia ad humana. Genua Christi sunt nobis specula humilitatis, quæ toties in oratione pro nobis curvata sunt, et in ablutione pedum Apostolorum. Ibi possumus agnoscere superbiam nostram, quæ non sinit nos humiliari, qui pulvis sumus et cinis. Cor Christi est nobis speculum ardentissimi amoris,

in quo perspicere possumus teporem cordis nostri erga Deum et proximum. Os Christi nobis est speculum suaviloquiorum laudis et gratiarum actionis; in quo agnoscimus inutilitatem verborum nostrorum, et omissionem divinæ laudis et orationis. Oculi Domini sunt nobis specula divinæ veritatis: ibi agnoscere valemus tenebras nostræ infidelitatis, quæ nos impediunt a cognitione veritatis. Aures Domini sunt nobis specula obedientiæ; qui sicut semper paratus fuit ad obediendum Deo Patri, ita semper est inclinatus ad nostras preces.

CAPUT XVI.

QUALITER HOMO SECUNDUM PLACITUM DEI VIVAT.

DIE quadam post Communionem sanctam, cum scire cuperet quid ab ea Dominus vellet, tale ab eo responsum accepit: « Egrediamur in agrum. » Statimque visum est sibi quasi esset in campo magno, ubi diversæ erant species rosarum, liliorum, violarum et aliorum florum. Per rosas significabantur Martyres; per lilia, Virgines; per violas et alios flores, Viduæ et alii Sancti. Visus est etiam ibi ager pulcherrimi frumenti, in quo Dominus sedebat, quasi frumento a quatuor partibus conclusus, ostensumque est illi quasi ager ille significaret omnem fructum qui de humanitate Christi Ecclesiæ provenisset. Philomelæ quoque et alaudæ dulcissimis vocibus concinentes, circa Dominum volitabant: philomelæ designabant animas amantes; alaudæ vero eos qui bona opera cum hilaritate et suavitate cordis faciunt. Videbatur etiam sibi quod columba sederet in sinu Domini; quæ significabat sim-

Philomelæ,
alaudæ et
columbæ in
agro Dei,
quid
significant.